



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Vita Ioannis Berchmanni Flandro-Belgæ Religiosi  
Societatis Iesv**

**Cepari, Virgilio**

**Antverpiæ, 1630**

Rerum nouarum aspectum vitat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46083](#)

IOANNIS BERCHMANNI. 75  
numquam eos videre licuisset) indicare pos-  
sent. Et plures cordatè mihi affirmarunt, sæ-  
pius se in illum & diu fuisse intuitos, eo stu-  
dio, vt quales haberet oculos, obseruarent,  
nec potuisse deprehendere, cùm oculos eo  
temporis spatio non sustulisset. Rogatus ab  
eiusdem cubiculi sui contubernali, vt quid  
faceret animo semper ad se reuocando, segre-  
gandoque à mortalibus rebus; respondit:  
Præsentissimum remedium, fida cordis cu-  
stodia (quæ cùm obtineri non posset, nisi fre-  
nati sint oculi) oculorum insuper perpetua in  
potestate retentio.

Atque hos subigebat non solùm auocan-  
do ab aspectu hominum, sed ab intuitu et-  
iam rerum omnium exquisitarum, quo pa-  
scere eorum curiositatem dignabatur. Al-  
legatus aliquando ad Seminarium, dramatis  
spectandi caussâ, non abnuit quidem, vt sese  
imperijs accommodaret; sed eà compositio-  
ne modestiaque in subsellijs confedit, vt ne  
oculum attolleret: quo notato, Nobilium  
quispiam, qui remotiore è loco spectabat, ob-  
stupefactus scilicet, proximè assidenti in au-  
rem insusurrat: Profectò hic Pater est san-  
ctus. Numquam adduci potuit, vt hortos vi-  
neasque, quæ Romæ in admiratione sunt, vl-  
lāsve res alias nouas inspectum iret: ne fö-  
lemnes quidem illas equitationes, quibus  
crebrò

*Rerum no-  
uarū aspe-  
ctum vitat.*

crebrò Romæ Cardinalium, Principum, Legatorumve aduentus insigni pompa excipiuntur: in quas si forte ex itinere incidisset, præteribat oculis in solum fixis. Pontificem maximum recens creatum dum ad D. Ioannis in possessionem mittitur, Sacerdotes ceterique nostri præ Domus Professæ ianuâ operari solent, flexisque genibus supplicabundi, summissionis ergo, Apostolicam ab eo postulare imprecationem. Huc vna cum collegis reliquis Ioannes missus erat, præteruehente GREGORIO xv. rogatusque à comite cum rediret, Ecquid ei arrisisset splendidissima illa Equitatus pompa; Evidem, inquit, non vidi, quia priores, post quos latui, spectanti mihi offecerunt; reuerà autem, spectaculo illo neglecto, dederat se ad orationem. Numquam à sodalibus persuaderi potuit, ut vel ad spectandas cærimonias, quæ Romæ Pontifici Maximo recens creato in D. Petri adhibentur, vel ad spectacula vlla videnda prodiret: acquiescere se dicebat vna visâ Supplicatione, quâ Pontifex circumtulerat sanctissimam Eucharistiam. Tantâ erat despicientiâ rerum externarum. Venerat in Collegium Romanum Cardinalis Sabaudiae Princeps, utque à nostris honorifice acciperetur, Ioanni inter Adolescentes, qui suâ quicunque lingua erant peroraturi, obuenerat munus

nus suâ quoque Belgarum linguâ dicendi; atque oratiunculâ suâ absolutâ, neque confessum illum spectandi, neque alios post se oratores audiendi cupiditate pellectus, vel momento restitit; sed quâm mox adito rogatoq;  
Viceministro num quid se vellet, aut suâ in purgandis aut eluendis culinæ lancibus opera opus esset. Cùm non esse respondisset, ille in Templum protinus ad orandum se recepit.

Dominicis omnibus Festisque diebus in *Quo corpore  
ris habitu  
orarit in  
Templo.*  
Ædem se IESV conferebat audiendæ lectio- ni. Ingressus statim certo se in Templi angulo componebat ad orandum, flexis genibus, oculis in terram deiectis, corpore penitus immoto dum Vesperæ finirentur. Genuensis aliquis domi Nobilis ( eâ re sæpiùs exploratâ ) Iuuenem non sine delectatione obseruabat, & Sacerdotem quemdam nostrum, ciuem suum, ita percunctatur: *Quâ caussâ, P. Ignatius  
mi Pater, existimas me huc venisse? Opinor, Lomelli-  
nus.*  
inquit Sacerdos, Vesperarum caussâ. Quin- imò, ait ille, Iuuenis illius videndi caussâ, qui omnibus huc Festis ventitat, éoque se loco tenet orans, curuatis genibus, quietè, mede- stiaque tantâ, vt nec oculos semel attollat. Evidem de eo tam excellente m opinionem habeo, vt credam esse Adolescentem sanctum: nam cùm in sacrâ Æde hos videam  
Musicæ